DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,*

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis tertiâ mensis Decembris, Anno Domini M. DCC. LXI.

M. FRANCISCO BERNARD, Doctore Medico, Præside.

An febris potiùs morbi remedium, quàm morbus.

I.

PRÆTERIIT jamdudùm, irretorto pede præteriit feliciſſima illa ætas quâ ver erat æternum, nec terras fœdabat hyems gelida, nec torrida torquebat æſtas; quâ tellus intacta roſtro, nec ullis ſaucia vomeribus per ſe dabat omnia. Tunc integro vitæ homini, ſceleriſque puro pœna metuſque aberant. Tunc doloris morbique neſcius mentem ſanam ſervabat in corpore ſano. At quantùm mutatus ab illo qui fuit, & nunc eſt! Poſt ignem æthereâ domo ſubductum; poſt recluſam, (deleat oblivio memoriam) Pandoræ pyxidem, macies & nova malorum terris incubuit cohors. Jam ſemoti priùs tarda lethi neceſſitas corripuit gradum. Jam nihil ſine magno vita labore dat mortalibus. Jam per gelidas hyemes, per igneos æſtus, per inæquales ideoque (*a*) noxios corporibus autumnos & breve ver totus annus exigitur. Sed nec miſeriæ finis. Hominem, ſi ſtructuram & artificium ſpectes, naturæ quidem gaudentis opus; at ſi morborum iliadem, novercæ ludibrium dixeris. Vix ſpiritum cœpit ducere cùm ipſum undique circumveniunt offendicula. Suos quælibet ætas patitur manes. Adhuc à matre rubentis pulmones tuſſis ferina quatit. Palpitans vertex deturbatur achoribus. Dentium eruptio, alvi profluvia, convulſiones, quantâ fiunt dolorum acceſſione! In pubertate inteſtina pungunt lumbrici, veſicam carnifex dilacerat calculus. Suos etiam invehit adoleſcentiæ morbos, epileſiam, variolas puellis infenſas, matribus deteſtatas. Juvenibus letargus accidit, lateris pulmonumque inflammationes. * Senes tandem exercent ſpirandi difficultas, deſtillationes, viſûs auditûſque hebetudo. Nec ætatibus tantùm, ſed ſui ſunt cuique tempeſtati, cuique regioni, cuique corporis parti morbi peculiares. Adeò verum eſt totum eſſe hominem à naturâ morbum. Verùm ex tot morbis paucos admodum reperias quos pediſſequa febris non concomitetur. Unde vulgò morborum vulgatiſſimus audit. At quam iniquè! Quam perperàm! An eò nequitiæ venit genus humanum ut virtutes ipſas invertat & ſincera cupiat vaſa incruſtare? An quemadmodum icteri laborantibus omnia flava apparent, ſic, quod malis

(*a*) Celſus lib. 2°.

* Hipp ap. 13. ſ. 3°.

* Propugnatâ à M. Bernard, 1743.

undique circumducitur homo, quidquid agit natura, ipsi malum videtur? Num quod ad causam morbi emendandam, expellendamque suscitatur, per quod sanitas amissa sæpè restituitur, quod saltem ad illam restituendam semper intendit, morbi nomine est insimulandum?

II.

MORBUS non malè definitur affectus contra naturam corporis viventis functiones manifestè lædens primò & per se. Quidquid igitur functiones per se non lædit, inter morbos non est recensendum: etiam si illud nonnunquàm per accidens eveniat. Comparatione rem juvat illustrare. Quemadmodum obsessi, qui in obsidentes quâ datâ portâ fulminis instar erumpunt, hostes longo intervallo fugant, opera invadunt, alia dejiciunt, alia igne corrumpunt; tandem cædendo defessi novis, vulnerati intactis occurrentes à multitudine non raro opprimuntur, ut indè non levem suis jacturam inferant; non ideo patriæ hostes sunt dicendi: haud aliter si quas adhibet opes natura ad profligandos morbos, longo nimis acerboque prælio minuantur; vel morbi malignitate aut quasi hostium oppressæ numero corruant; ut indè nonnihil mali ægrotanti eveniat; num ideò capitalis criminis sunt arguendæ? Quasi verò victoriam viribus intactis natura semper debeat reportare. Nonne debemur morti nos nostraque? Nonne statutum est omnibus hominibus semel mori? Neque quis putet hîc de nomine tantùm rixam moveri. Multa enim indè deducentur ad medicam praxim maximè necessaria. Enim verò si semel liquidò devictum fuerit febrem non morbum esse sed remedium, hinc sequetur eam non esse antevertendam sed (novum auditu) aliquandò provocandam, non imminuendam sed adaugendam, non extinguendam sed conservandam.

III.

VIX homo ægritudine aliquâ tentatur, cùm statim natura febrim exsuscitat. Quid ergo? An malum malo addere? An se ipsam exosa cruentas in se manus studet adhibere? Absit. Natura suî conservationi invigilans indesinenter & teste divo Sene optima morborum medicatrix, non ruinam inferre, sed opem afferre intendit. Febris ab antiquo *februare* id est expurgare; specialissimè à ritibus illis solemnibus februa appellatis quibus domicilia ab umbris erraticis defunctorum expurgari somniabant. Cum de febris naturâ non conveniat inter authores, non mirum quòd diversæ à diversis allatæ fuerint illius definitiones. Sed postpositis cæteris hanc genuinam veramque contendimus: febris est conamen naturæ causam morbi aut emendantis aut expellentis. Hæc enim rationi & experientiæ consona est, hæc authoritate, & ipsâ confirmatur analogiâ. Incassùm febris causam quæsieris; quærenda potiùs variorum quos comitatur causa morborum. Huic remedia debentur, huic soli oculatus incumbat medicus. Exulent itaque variæ causæ fictitiæ; accensionis flammulæ cordis; scintillarum per latifundium sanguinis oberrantium; explosionis corpusculorum nitrosorum; item nudæ recentiorum fermentationes quas antiquorum putredini substituerant. Præcipuæ morborum causæ ab inflammationibus, obstructionibus, à materiâ viscidâ & glutinosâ in diversis corporis partibus inhærente, veniunt repetendæ. Porrò his corrigendis aut penitùs delendis quodnam febre potentius remedium. In febre sanguinis motus calorque ultrà gradum naturalem augentur. Motu & calore vivimus. His, quæcunque in microcosmo peraguntur, accepta referri debent. Quamdiu autem nulla functio læsa est, vitæ perennandæ naturalis uterque sufficit; si quæ verò occurrant impedimenta, tum febris motibus secretoriis & excretoriis ultrà gradum naturalem adauctis attenuando, incidendo materiam morbificam ad temperationem debitam reducit aut caloris adjuta præsidio præparatam foràs eliminat. Hinc, teste Junckero, febres, si legitimè & salutariter decurrant, novum sanitatis vigorem habent successorem. Sed

tritum cadit quodlibet ratiocinium nisi experientiâ rerum magistrâ fulciatur. Hanc igitur consulamus. Sunt qui intactâ morbi causâ, soli debellandæ febri operam navantes, repetitis ad nativi caloris quasi extinctionem venæ sectionibus, emulsionibus, narcoticis incumbunt. Quid inde? Scopum attingunt. Febrim sedant, vel potiùs armis naturam exuunt. At fiunt novissima insontis ægri pejora prioribus. Hinc enim morborum iliades, hinc lassitudines spontaneæ, inappetentiæ, ad omnia munia tùm animi tùm corporis ineptitudo: ut de illo conclamatum sit, nisi de seipsâ aut prudentis medici consilio natura quasi reviviscat. Quantò rectiùs hic qui nil molitur ineptè! Qui semel aut iterùm imperatâ phlebotomiâ ut depletis vasis velut aperto campo totis viribus natura prælium inire queat, interim in primis viis, in intimis corporis visceribus causam mali lyncæis oculis investigat ut naturæ minister non oppressor illi ferat suppetias. Aut si sibi soli sufficiat, derelinquatur. Sæpe enim paroxismi initio celebratâ venæ sectione, adaugetur quin immò debaccatur febris; humor peccans attenuatur, inciditur, movetur, subortis hinc sudoribus foràs amandatur, solius febris auxilio sanatur ægrotans.

IV.

QUOT mala febre sanentur hîc enarrare vetant theseos præscripti limites. Pauca tantùm exempla ex gravioribus in arte medicâ magistris referre animus est. (a) Quartana sanat epilepsiam; tertiana exhaurit & sistit catarrhum. (b) Si quis ebrius repentè obmutescat, convulsus moritur nisi superveniente febre vocem recipiat. (c) Qui quartanâ laborant convulsionibus, omninò non capiuntur; si verò antea capiantur & subinde quartana succedat, cessant. Cùm enim ab humoribus lentis & pituitosis convulsio ut plurimùm fiat, cùmque horumce humorum duplex sit sanatio, coctio scilicet & excretio, utramque paginam adimplet febris. (d) Lippienti viro febre superveniente, lippitudinis exolutio; de quo Butin. Discusso humore crasso qui oculorum venas replebat, fit lippitudinis curatio. (e) Quibus hyppocondrium è dolore laborat, superveniente febre dolor exolvitur incidendo, attenuando, ad temperationem reducendo. (f) Ad generationem puris necessaria est materiæ suppurabilis præparatio; efficitur autem talis à febre..... sine febre nihil est suppurabile. (g) In variolis, tanti momenti est febris ut in illâ prævidendâ & rectè dirigendâ totum ferè constet medentis artificium & industria. Cætera quæ in pluribus authoribus ac præsertim in Hippocratis libris multa sunt exempla, prætermittimus. Hisce evictum satis credimus febrim esse naturale remedium. Nec oculato cuivis naturæ indagatori mirum illud videbitur. Ubique enim sibi similem reperiet, ubique sibi consentientem, ubique sibimet ipsi invigilantem. Enim verò si quid ventriculum pondere gravet, aut acriori stimulo in illum impingat, statim natura classicum canit, contrahitur ventriculus, plurimæ partes manus dant auxiliatrices, fit vomitus: quod nocebat ejicitur. Membranæ pituitariæ fit irritatio? En adest sternutatio quâ natura liberatur. Si quid furtivo illapsu per dicatas aëri vias in tracheam vim exerceat, subortâ tussi tam potenter pellitur ut sæpè quâ rectâ viâ ducit, per nares eliminetur. Succurrere pariter oculis lacrymas, intestinis alvi fluxus, omnibus & lippis notum & tonsoribus. Porrò quis nisi in physiologicis rebus planè hospes hîc vomitum, sternutationem, tussim, lacrymas, alvi fluxum morbi nomine inquinaverit. Idem febris usus, idem de febre dicendum.

(a) Hipp.
(b) Id. aph. 6. p. 2.
(c) Id. ap. 42. pr. 1æ.
(d) Id. Coac 8.
(e) Coac. 210.
(f) Coac. 299.
(g) Hecq. Præf. p. 2.

V.

NATURA igitur fulta febris præsidio quamplurimos debellat morbos. Hujus ope quod spissius est attenuatur, viscidius inciditur, intemperatum ad temperationem reducitur, noxium amandatur, sanguinis εὐκρασία conciliatur. At dicet aliquis: quotidiè cum successu præscribuntur remedia quæ idcirco febrifuga audiunt quod febrim perimant. Usus quidem nominis invaluit & reverà illorum ope cessat febris. At hinc luculenta exoritur nostræ theseos probatio. Cùm autem in-

ter illa remedia primas jure teneat cortex peruvianus hunc in medium proferre liceat. Benignus hic cortex sale suo, quo turget, tàm fixo quàm volatili, attenuando, incidendo, nonnumquàm vacuando agit. Quod * duabus præclaris thesibus in hâc solemni Academiâ propugnatis evictum est. Idem igitur præstat quod febris: est quasi febris succedanea: conjunctis agunt viribus. Quanta etenim utriusque similitudo! Prodest febri venæ sectio, & Kinækinæ. Purgantibus juvatur febris; si purgantia pulveri peruviano immiscueris, eâdem fideliâ duos dealbaveris parietes. Si mali fomes & origo in ventriculo delitescat, hoc sine emeticorum auxilio eradicare non valet Kinakina; nec febris. At rursùs illius ope hæc desinit. Sanè quidem; quia hoste debellato reconditis armis natura conquiescit. Sed perget aliquis; febrim cessare bonum est; non inficias imus. Indicat enim naturam victricem & materiam morbificam aut emendatam aut expulsam; nisi id naturæ imbecillitate contingat; quod pessimum. Tuncque maximè medici auxilio opus est qui res prudentiâ restituat, appropriatis remediis causæ morbi occurat, & languentem jam ac deficientem naturam refocillet. Absit tamen ut Scyllam fugiens, in Charybdim incidat. Ad nimium enim conamen incitata natura extenuatur: undè funesta sæpe exoriuntur symptomata & auxilium in perniciem cedit. Est modus, sunt certi fines citrà & ultrà quos rectum nequit consistere. Optima febris est quæ & causæ morbi, & naturæ viribus est accommodata. Hæc est quæ tutò & citò materiem morbificam præparat & præparatam expellit.

* An. 163.

Ergò febris potiùs morbi remedium, quàm morbus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Natalis Nicolaus Mallet.

M. Franciscus-Ludovicus-Thomas d'Onglée.

M. Guillelmus Fumée.

M. Marinus-Jacobus-Clarus Robert.

M. Maximilianus-Josephus Leys.

M. Guillelmus Berthold.

M. Petrus-Josephus Macquer, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius & Censor Regius.

M. Josephus-Maria-Franciscus de la Sone, Reginæ Medicus primarius, Censor Regius & Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.

M. Julianus Busson, Nosocomiorum Regiorum in Britannia Inspector.

Proponebat Parisiis CAROLUS SALLIN, Grayacus Bisuntinensis; Doctor Medicus Monspeliensis, necnon Saluberrimæ Facultatis Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1761.

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1761.